

GODOFREDVS EPHRAIM MÜLLER, A. M.  
DE  
PROFANO DEORVM CVLTV,  
EIVSQVE  
ORIGINE ET FATIS  
DISSERIT.

---

SIMVLQVE  
VENERABILI PARENTI  
M. GODOFREDO  
MÜLLERO  
PASTORI AD D. ANNÆ, QVÆ DRESDÆ  
EST, OPTIME MERENTI  
IPSO SOLEMNI DIE

EX QVO  
ADFLVENTES ANNOS ORDINAT  
QVA  
FILIVM DECET, PIETATE,  
BENE PRECATVR.

DRESDÆ PRID. CAL. NOV. MDCCXXXVI.

---

TYPIS JOANNIS GVILIELMI HARPETERI.

oll. diss. A  
1, 6

a. CXXXI. P.



Iuuenalis.

*O sanctas gentes, queis tot nascuntur  
Numina!*







§. I.

**N**E cui forte titulus huius dissertationis verba det, ut sibi hic omnia in vnum congesta videatur reperire, quæ prolixius de IDOLOLATRIA, ut dicunt, in libris Theologorum ex instituto præcipi solent: lectores meos a principio statim monendos esse censui, me, hac opera, veterem, quod aiunt, cantilenam recinere, actumque agere nolle, sed in eo fore omnem, ut, qua fieri potest, accuratatione & brevitare exponam, quid de *profani Deorum cultus* natura atque origine decernat Philosophia; quid de incrementis eius & fati enarret historia?

§. II.

Omnis omnino homo, qui sana rectaque præditus est ratione, eaque, ut par est, utitur, solo huius rationis ductu suasuque, Deum esse, cognoscat, necesse est. \* Quæcunque enim in hac rerum vniuersitate intuetur contemplaturque, non propria vi tam ornate, tam mirifice, tamque sapienter esse gerique posse, facili colligit negotio. Hinc ad primam omnium rerum causam originemque animi aduertit suum, quam æternam esse, suis viribus subsistentem, vnam, absolutaque exornatam potestate, iusta ratiocinatione eruit. \*\*



Quam si semel ratio humana agnouerit veritatem, voluntas hominis, nisi crassissimis præiudicatarum opinionum tenebris inuoluta sit, aut summa occupetur impietate pertinaciaque, ad recipiendam hanc Dei cognitionem & adprobendam est paratissima. † Deinde quoque homo, de præstando, huic Enti tam perfectò, cultu, quem religionem vocamus, est sollicitus, vt sibi illud conciliet, & e numine, omni ex parte tam beato, suam quoque deriuare possit *εὐταρκείαν* felicitatemque. \*\*\*

\* Hac ratione paganos quoque, *Deum esse*, cognouisse, egregie demonstrat D. PAVLLVS Rom. I. 20. Τα γὰρ ἀοράτα Θεῶν, *Quæ in Deo oculis videri quidem non possunt*; (innuit his verbis Dei *existentiam*;) ἢτε αὐδὶος αὐτῶν δυνάμις καὶ θειότης, & *eius potestas pariter ac diuinitas*; (habes præcipua Dei, vt dicunt, *attributa*, quæ Philosophis *essentiæ* nomine veniunt.) Καθόραται *perspiciuntur*, (notes, velim, emphasin vocis καθόραται, quam, *inspiciendo in rem penetrare*, recte verteris.) ἀπο κτίσεως κόσμου, *ex huius vniuersi miranda compage*; (quæ non æterna est, sed creata.) τοῖς ποιήμασι νοημένα. Si opera omnia, quæ terra marique, & quod omnia tegit, cælo continentur, non fugitiuo oculo, aut negligentia detestanda inspiciuntur, sed maxima cum attentione animo versantur, & luculentissime cognoscuntur. Αναπολογητῶς denique, seu qui *omni excusatione excidunt*, eos vocat Dei legatus, qui eo modo creatorem ex rebus creatis cognoscere detractent.

\*\* Celeb. DAVID MARTIN in elegantissimo libello: *la religion naturelle* triplicis generis argumentis, e *metaphysica* scilicet, e *naturali scientia*, eque morum doctrina depromtis, quod omnino *Deus sit*, adstruere conatur. Cum ab instituto nostro quam maxime recedat, ea omnia repetere, ad eos lectorem ablegamus, qui hæc omnia pertractarunt prolixius. *Ex rerum omnium, vt dicunt, contingentia, & vnius saltem necessitate*, illustris WOLFFIUS *existentiam Dei* demonstrat, in *vernünftigen Gedancken von Gott vnd der Welt*, P. I. S. 928. sqq.

† Communis enim QVINCTILIANI L. VIII. c. 3. regula est: *Id facillime accipiunt animi, quod agnoscunt*,

\*\*\* Fieri



\*\*\* Fieri non potest, si quis Deum esse cognouerit, quin etiam religionem meditetur. Et si verum Deum agnouerit, veram quoque sectabitur religionem: Sin falsum, superstitionem religionis loco amplectetur. Verus enim Dei cultus ex veri Dei *essentia & proprietatibus* elici debet.

§. III.

Hæc quidem sua satis luce radiant, quæ de Deo ex ratione cognoscendo diximus. Sed maiori obscuritate laborare videtur vnius tantum Dei demonstratio, \* non quidem eam ob causam, ac si minus certa sit, minusque hominis ratione stabilita; sed quia abstrusiori consequentia e priori eruitur. Ea itaque paganorum fuit miseria, vt, omni reuelatione destituti, vel ignorantia id fieret, vel pigritia, vnum esse Deum, ex ratione non cognoscerent, sed nescio quot sibi effingerent numina. Nos vero, qui ex reuelata Dei veritate probe scimus, vnum tantum esse Deum, in demonstranda hac Dei vnitatem melius omnino ratione nostra vti possumus.

\* Optime demonstrari potest hæc Dei vnitatem: *Fieri non potest, vt duæ sint res, quarum altera alteri sit simillima, vt ne quidem in minimo (e. g. loco, situ, habitu &c.) inter se discrepent. Si enim duæ sibi simillimæ res inuenirentur, vnã rem constituerent, propterea, quod nullo plane discrimine inter se distingerentur. Fac igitur, sint duo ὄντα ἀπειριετα, omni ex parte sibi simillima; Sequitur, vt vnum tantum ὄν constituant hæc duo, quia fieri non potest, vt duæ res diuersæ, sibi perfectissime similes esse possint. Vnus itaque Deus est. Q. e. d.* Alteram iam addamus demonstrationem. Sint, faciamus, duo Dii, quos A. & B. vocemus. Si quid itaque Deus A. facere decreuit, alterius Dei B. calculum ferat, aut non ferat, necesse est. Si fert, sequitur, vt Deus B. sit Deo A. subiectus, adeoque non Deus, quia non absolute perfectissime potens. Si Deus B. aduersetur Deo A, sequitur, vt maximus inter amborum voluntatem sit defectus, qui omnem tollat perfectionem, in Deo absolutissime requisitam.

§. IV.

Hæc paganorum de multis numinibus opinio sequenti modo, nisi me fallunt omnia, exorta est. Primi xui homines, vbi se recte



cognouerant, ad summam felicitatem se natos esse, animaduertebant. Ad istam itaque felicitatem, cum attollerent animum, quam miseri etiam tumerant, in Deo, cuius cognitionem, vel a patribus acceptam retinuerant, vel ex ratione hauserant, hanc illam ipsam sitam esse, probe intelligebant. Hac ratione euenit, vt ideas felicitatis atque Dei indissolubili semper iungerent vinculo, quin successu temporis confunderent etiam. Et quo magis res vna quæque eorum promouere videbatur salutem, eo plus τὰ θεῶν in se habere, credebant firmissime. \* Ex hac veterum sententia nati sunt Dii artium, fortunarum honorumque: hortorum numina frugumque & sexcenta alia, quæ hic enarrare non est animus. \*\*

\* Ortum hinc inde trahunt diuersæ maiorum minorumque Deorum familiae. Si enim res quædam tranquillitati animi, qui dignior hominis portio habebatur, conducerent, vocabantur maiores Dii; si magis corporis commoditati voluptatique sensum inferuient, minora effutiebantur numina. Hinc in PRIAPEIS de se queritur custos ille hortorum spurcissimus. *Carm. XIII.*

Nos vappæ sumus, & pusilla culti  
Ruris numina.

Mediocre enim, nec adeo magnum hortorum commodum est. Et apud OVID. *Metam. L. I. v. 192.* ipse IVPITER ita loquitur:

*Sunt mihi Semidei, sunt rustica numina Fauni,  
Et Nymphæ, Satyrique, & monticulæ Syluani,  
Quos, quoniam Coeli nondum dignamur honore,  
Quas dedimus, certe terras habitare sinamus.*

Sed, v. g. APOLLINEM, artium Deum, in maiorem Deorum senatum adsciuerunt veteres, quia artibus scientiisque ad summam animi humani felicitatem recta tenditur.

\*\* Nemo laboriosum Deorum Dearumque indicem a me expectet. Operæ enim pretium non est, quæ traduntur a fabularum interpretibus, hic prolixius repetere. Vnum saltem SELDENVM de Diis Syriorum, commendasse sufficiat.

§. V.

Deinde, qui inter paganos sapientiores videri gestiebant, cum in rerum causas curatius inquirerent, nescio, quam concatenatam cau-

cau-



causarum seriem sibi sint euenti, huius vniuersitatis naturam cum Deo misere confundentes. \* *Immensi enim huius operis partem esse Deum*, profitebantur veteres Philosophi, *quæ per omnia penetret*, & pro diuersa operandi in naturam ratione, varia & diuersa quoque fortiatur nomina. \*\* Quas quidem primas naturæ vires, Deorum nomine insignitas, pro veris Diis venditabant incautis hominibus, vt eos, ad præstanda sibi officia mutua, ciuitatemque instituendam metu numinum adigerent facilius, seque ipsos, quibus in Deorum naturam penetrare fit concessum, æstimatione apud imperitum vulgus augerent. Qua in re Philosophi Poetarum quam maxime vtebantur opera, qui lepidissimis fabulis Deorum horum allegoricorum ortum, fata, resque ab iis gestas, exponerent, vt hoc Deorum *ἀνθεωπομορφισμῶς* imponerent facilius populo. \*\*\*

\* CICERO. Libro I. de *Diuinat.*

\*\* Deorum simulacra nihil aliud esse, quam primas naturæ vires, ex nominibus eorum satis perspicue cognosci potest. *ZEVS* vocabatur Græcis *Iupiter*, a *ζῶν*, quia omnis vitæ fons putabatur atque origo: *Minerua* Ἀθηνᾶς audiebat, quod *in æthere distenta sit virtus eius*, vt reliquam Deorum plebem tacitus præteream. Quæ vero sub hisce fabularum inuolucris lateant veritates philosophicæ, egregie suo quoque loco docet NATALIS COMES in *Mythologiæ* opere, nitidissime Venetiis 1581. in 4. typis exscripto.

\*\*\* Poetæ inter paganos Theologorum munere primi fungebantur, quos hanc forte ob causam *ἑρμηνεύας θεῶν* nuncupauit PLATO. Vnus omnium memorari meretur OVIDIVS, qui eleganti & lepido carmine inconditas fabellas non solum expressit, sed etiam ita concinnauit, vt absurdissima commenta, iucundo ordine inter se cohærent. Sed, data hac occasione, si quis ex me quærat, quonam malo sidere euenerit, vt de Diis suis immanissima scelera etiam prædicare non erubuerint hi Musarum sacerdotes, id, si quid ego iudico, in causa fuit, quod isti Poetæ, vt plurima eorum testantur exempla, genus fuerint hominum, bonorum morum incuriosum, & in diem viuere solitum, qui, vt sceleribus suis præsidium pararent auctoritatemque, ipsos, quos docebant, Deos omnium criminum ante-

signa-



signanos esse iusserunt. Hæc PALINGENII, (aut potius PETRI ANGELI MANZOLLI) sententia est, qui, ubi hanc turpitudinem in Poetis antiquis merito taxavit, licentiæ huius causam esse dicit,

- - - - - *ut maior eundi*  
*In præceptis pateat via, liberiorque potestas*  
*Peccandi detur, minus & peccata pudoris*  
*In se contineant.* - - - - -

In *Ariete* v. 120.

§. VI.

Primum itaque *ειδωλολατρειας* genus in eo consistebat, ut Solem lunamque & reliqua minora sidera religioso cultu prosequerentur homines. \* Cum enim egregiam eorum speciem intuerentur: \*\* cum ab eorum defectu vel copia, aut anni fecunditatem, aut sterilitatem pendere animaduverterent: \*\*\* cumque siderum vi vitam actionesque hominum dirigi crederent; hæc cæli lumina, pro præstitis tot tantisque beneficiis, diuino honore adficienda esse, iniqua ratiocinatione colligebant. \*\*\*\*

\* Ea est R. MAIMONIDÆ sententia, primos homines non quidem negasse, præter stellas esse vllum Deum, sed cæli sphaeras tantum adorasse, tanquam quas Deus honoris sui participes fecerit, ideoque in sublimi posuerit, & quas ex τῶ θεῶ attributis solas oculis usurpare liceat, cum reliqua Dei sint ἀόρατα. Hic itaque Deorum cultus cum simplicissimus, & principio venerationi in creaturis creatori præstitæ esset similis, mirum non est, quod & eos, qui cognitione veri Dei satis imbuti erant, non raro in suas partes traxerit. Vide ANTON. van DALE *Dissert. de Idolol. & Superstitione* C. II. p. 13.

\*\* Doctiss. IAC. SAVRIN *Disc. Hist. Crit. Vol. I. discours V. f. 30.* editionis magnificentissimæ Hagæ 1728. in fol. nonnullorum vanam coniecturam explodit, qui exinde *Solis Stellarumque cultum* deriuant, quod priorum hominum tempore, ex fixo quodam loco Deus excellentissima præsentia suæ signa exhibuerit, & quidem sub illustrioris luminis specie atque figura.

\*\*\* Hæc PHILONIS *Iudæi* sententia est, *περι μοναρχιας, λογω α.* fol. 812. Edit. Colon. 1691. fol. ubi ita de siderum cultu disserit: *Οἱ γὰρ ἰδόντες ἡλίου μὲν προοδοῖς καὶ ἀναχωρησεσὶ τὰς ἐτη-*



ἔτησιβς ὥρας συνισταμενας, ἐν αἷς καὶ ζῶων καὶ φυτῶν καὶ καρπῶν γενεσεῖς ὠρισμενων χρονῶν περιοδοῖς τελεσφορευνται, σελήνην δ' ὑπηρετην καὶ διαδοχον ἡλίου, νυκτῶρ τὴν ἐπιμελειαν καὶ προσασιαν ἀνελήφυσιαν, ὧν μεθ' ἡμεραν ἡλιον καὶ τρεῖς ἄλλεβς ἀφερας κατα τὴν προς τα ἐπιγεια συμπαθειαν, μυρια των ἐπι διαμοιη τε παροντοβ ἐνεργωνταβ τε καὶ δρωνταβ, πλανον ἐπλανηθησαν ἀνήνυτον, μονεβ εἶνα τρεῖβ θεεβ ὑποτοπησαντεβ.

\*\*\*\* D. PAVLLVS de his Deorum cultoribus dicit *Rom. I. 21. 22.*

Διοτι γνοντεβ τον Θεον, ἔχ ὡβ Θεον ἐδοξασαν ἢ εὐχαρισησαν. ἀλλ' ἐματαιωθησαν ἐν τοῖβ διαλογισμοῖβ αὐτων, καὶ ἐσκοτιωθη ἢ ἀσυνετοβ αὐτων καρδια. Φασκοντεβ εἶνα σοφοι, ἐμωρανθησαν.

§. VII.

Sed vbi semel paullulum frena laxantur lasciuienti hominum ingenio, in perniciem suam præcep̄s ruit. Nimirum in effingenda & conscribenda vndequaque numina tam ingeniosi erant posterī, vt abiectissima quoque animantia, propter minimum ex iis commodi prouentum, \* in Deorum censum referrent. Ab Aegyptiis, quos non raro imitati videntur Iudæi, \*\* hoc Deorum genus originem traxit, qui, cum maxima cum cura res creatas omnes, ad abstrusioris philosophiæ leges exigent, & hieroglyphicis, \*\*\* quas dicunt, figuris exprimerent, vel in miserrimis animalculis, nescio quid diuinitatis sibi inuenire videbantur. \*\*\*\* Quare eorum regio tam plena fictis fuit numinibus, vt facilius Deum, quam hominem inuenire potueris.

\* Consule §. IV. huius dissert.

\*\* De aurei vituli idolo acutissimus BAYLIVS ita iudicat, dans les pensées sur la Comete, T. I. p. 248. *ſ' y songe à la remarque, que font les Rabins, (in margine lectores ad WINDETV̄M de vita functorum statu, p. 256 ablegat) que les Idolatres, qui suivirent en très-grand nombre & en qualité de Proselytes, le peuple de Dieu, sortant du pais d'Egypte, furent les premiers auteurs de la fonte du Veau d'or & de tous les murmures de ce peuple dans le desert. Duo simul loca, Exod. XII. 38. & Num XI. 4. excitat, in quibus hæc Rabbīnorum sententia videtur fundata.*

\*\*\* De Theologia Ægyptiorum hieroglyphica legi potest WITSIVS in Ægypt. L. II. C. IV. §. 18. p. m. 87.

\*\*\*\* Credebant scilicet Ægyptii, solem, lunam siderumque agmina, istos Deos esse, quorum nutu fiant geranturque omnia: qui



quidem Dii maximum in quædam animalia, quin hortorum fructus, habeant influxum, vt suam diuinitatem cum iis quasi communicare videantur. PLVTARCHVS de ISIDE & OSIR: hanc *felis* ἀποθεωσεως causam esse, profitetur: Αἱ δὲ ἐν τοῖς ὀμμασιν αὐτῆς κοραὶ πληροῦσαι μὲν, καὶ πλατυνεῖσθαι δοκῶσιν ἐν πανσεληνῶ, λεπτυνεῖσθαι δὲ καὶ μαρτυροῦν ἐν ταῖς μειώσεσι τῆς αὐτῆς. Τῷ δὲ ἀνδρωπομορφῶ τῆς αἰλῶν το νοερον καὶ λογικον ἐμφαινεται των περι Σεληνην μεταβολων.

## §. VIII.

Ad hominum denique cultum peruentum est. Nam cum viderent sapientes viri, ad aliorum exemplum in illustriori loco positum, reliquos quoque componi, eos, qui de patria & humano genere bene meruerant, in Deorum numerum referebant, vt posteros ad similem virtutem iustitiamque inuitarent. \* Quod, vt fieret, duplici modo utebantur. Primum enim homines istos Deorum ex hominibus filios esse, iactitabant, quos *Heroes* seu ex semisse Deos & ex semisse homines dicebant. \*\* Deinde per solemnem ἀποθεωσεως ritum, Deorum eos adscribebant numero, in certa sidera, vt putabant mutatos. \*\*\*

\* Testatur hoc EVSEBIUS *Præpar. Euang.* L. I. C. IX. edit. Colon. 1688. fol. 32. vbi PHILONEM BYBLIVM, SANCHONIA-THONIS, antiquissimi scriptoris interpretem, ita loquentem inducit: Θεοι, (de Aegyptiis loquitur,) ἐνομιζον μεγαυτας τῆς τα προς την βιωτικην χρειαυ εὔροντας, ἢ καὶ κατὰ τι εὔ ποιησαντας τα εἶδη εὐεργετας τε τῆς καὶ πολλων αὐτις ἀγαθων ἡγουμενοι, ὧν Θεοι προσεκυνου

\*\* Eleganter hos *Heroum* natales irridere videtur LIVIUS L. I. C. IV. „Vi compressa RHEA SYLVIA, quum geminum „partum edidisset, (seu ita rata, seu quia Deus auctor culpæ „honestior erat.) MARTEM incertæ stirpis patrem nuncupat. Lepide quoque hac de re iudicat LVDOV. CRYSIVS, qui *Vitas Poetarum Romanorum* anglice dedit in *the life of VIRGIL* p. 43. *And, as if it vvere too ordinary a circumstance for the great Genius's, to be legally begotten, they are said to have been Bastards.* H. e. Ac si vero vulgare nimis esset, & virorum summorum personis indignum, ex legitimo toro geniali nasci, spurii & ambigui partus dicebantur filii.

\*\*\* Priscis statim temporibus, excellentiores viri diui salutabantur. Sed AVGVSTVS solemnem consecrationis ritum instituit,



quem HEROD. L. IV, 2. accurate exponit. Ad futuram hanc  
AVGVSTI inter diuos relationem alludit HORATIVS Carm.  
L. I. Ode 2. *Serus in coelum redeas.* - - -

Et OVIDIVS ad AVGVSTVM sub finem *Metamorph.*

*Tarda sit illa dies, & nostro serior ævo,  
Qua caput Augustum, quem temperat orbe relicto  
Accedat coelo faueatque precantibus absens.*

*τας δε ψυχας λαμβειν αστρα* PLVTARCHVS in *Iside & Osir.*  
auctor est. HORATIVS L. I. Carm. Od. 12. *Iulium sidus* adpel-  
lat stellam, in quam CAESARIS anima mutata credebatur.  
Quam *μεταμορφωση* eleganter narrat OVIDIVS, L. XV. ubi  
VENVS CAESARIS sui.

- - - *animam coelestibus intulit astris.*  
*Dumque tulit numen capere & ignescere sensit,  
Flammiferumque trabens spatioso limite crinem  
Stella micat.*

§. IX.

Tempus, quo primum inceperit hic profanus Deorum cultus,  
accurate indicari non potest. Sunt, \* qui iam ante communem istam  
orbis diluuiem vestigia in historia sacra eiusmodi cultus inuenire sibi  
videntur, licet non omnibus probetur hæc eorum opinio. Interim  
tamen est certissimum, \*\* Noachi statim temporibus, cum vix deflu-  
xissent vltices aquæ, exstitisse homines, qui honores vero Deo de-  
bitos, fictis Deorum simulacris deferrent. Quæ quidem dementia,  
crescente in dies hominum multitudine, mirum quoque in modum  
crescens, qua orbis fuit habitabilis, longe lateque serpsit, mentesque  
humanas veluti pestilenti sidere adflauit. Ea enim fuit *κακοδαιμονος τε  
πολυτεχνητε* fraus atque astutia, vt, quos non ab omni numinis cultu  
auocare potuerat homines, ad plurimorum tamen Deorum reueren-  
tiam alliceret. Parum enim discriminis interest, nullum Deum cre-  
dere, aut plura profiteri numina.

\* Qui priori sententiæ fauent, ad Gen. IV versumque vltimum pro-  
uocant, *יהוה בשם יהוה לקרא בשם יהוה*, quod ita interpretan-  
tur: *tunc coeptum est profanari nomen Dei.* Videatur ANTO-  
NIUS van DALE C. II. p. 14. Interim tamen SCHVCKFORD  
*Harm.* L. I. C. 7. p. 78. edit. germ. in ea est sententia, *יהוה* tum  
demum esse *profanare*, si illud vocabulum nomen, non vero



indefinitius, ut hic loci, subsequatur, idque adductis plurimis scripturæ locis adstruere conatur. Suam deinde adiungit interpretationem, qua historicus sacer ita explicatur: *Primum tunc temporis homines secundum nomen Dei, i. e. filii Dei, dici coeperunt.* Nos in re tam dubia nihil certi audemus edicere, sed suam cuique relinquimus sententiam.

\*\* Si, quod mihi videtur, dicendum erit, ortus *ειδωλολατρειας* ad GEN. C. XI. referendus erit. Dispersis enim per omnem, qua patet orbem, gentibus, vera de Deo doctrina, quam propagauerant viri diuini, Patriarchæ, plane stetit & obmutuit, eiusque in locum vana de Diis somnia paulatim misere successerunt.

§. X.

Sed quærat quispiam ex me, quonam malo fato acciderit, ut in tam crassos errores prolaberentur homines, sana rectaque ratione præditi, quibusque modis, profanus Deorum cultus fuerit propagatus. Id quod ita factum esse, existimo. Primum, ad maiora se natos esse animaduertebant homines, quæ quidem cognitio, *existentiam* Dei credendam iis suadebat quam maxime. \* Verum, amissa veri Dei cognitione, quæ ex reuelato eius sermone hauriri solet, circumscripta nimis ratione, in angustam infinitamque Dei naturam penetrare non poterant, sed incerti errabant loci viarumque, quibus ad veri Dei cultum itur, creaturas quasque, propter qualemcunque earum excellentiam, Deos arbitrati. \*\* Accedit, quod & sapientiores inter paganos fatuitate superstitionis plebis stoliditate male abutebantur, quam tot fraudibus, tot nugis, tot diuinationum oraculorumque generibus, magis magisque corroborabant, ut absurdissimis etiam fabulis fidem habere nulli dubitarent, decepti his artibus homines. \*\*\*

\* Vide §. II. huius dissertationis nostræ.

\*\* Quam magnus etiam usus sit religionis, quam dicunt, naturalis, homini tamen nequaquam ad perfectam & salutarem Dei cognitionem potest sufficere. Suo exinde iure necessitatem *reuelatæ Dei veritatis* commonstrauit Cl. WOLLIVS meus, in præfat. doctissima: *von der Nothwendigkeit einer Offenbarung*; DAV. MARTINI, quam germanice interpretatus sum, *tractationi, de religione naturali*, præmissa.

\*\*\* De *Diuinationibus Idololatricis* legi potest ANT. van DALE Diss. quæ tertia ordine est, p. 264. seq. *Idololatriam oraculorum* etc.



non proletarie promotam esse, B. MOEBIVS existimat in *Tract. de Oraculis ethniciis*. Quid vero de oraculis sciendum, quid de iis sentiendum sit, egregie & eleganter exponit illud GAL-LIAE decus, FONTENELLIVS dans l'*histoire des Oracles*, quæ T. II. de ses *Oeuvres à la Haye* 1728. 12. continetur.

## §. XI.

Quis itaque non videt, quam misera hominum fuerit conditio, qui Diis Deabusque litabant? Incerta enim erant omnia, & tam confuse inter se connexa, ut *frigida calidis pugnarent, siccis humentia*, & doctrinæ placita sibi inuicem contradicerent. \* Quæ reuerentia eiusmodi diuis, qui immanissima scelera perpetraturis, facem ipsi prætulerant? \*\* Quanta poni debebat in Diis fiducia, qui diuisum habebant imperium, & quorum alter alteri potestatem suam, vel vi id fieret, vel fraude, cohiberet? \*\*\* Et quot denique malorum, quot facinorum quantæque crudelitatis foecunda parens fuit meticulosus numinum cultus & monstrosa ista paganorum superstitio? \*\*\*\*

\* Illud est inter *fiatum verumque* discrimen, ut *falsum*, quousque etiam celetur, a mala semper prodatur cohærentia, *veritas* nunquam. Hinc scite se mirari aiebat CATO, quod non rideret haruspex, haruspicem cum vidisset. CICE-RO L. II. de *Diuinat.*

\*\* Hanc quidem consequentiam negat BAYLIVS *Contin. des pensées diuer.* p. 658, simulque ad *Imperatores* prouocat, qui *legem Iuliam*, vel aliam tulerant, ipsorum, quæ vetabant, criminum rei. Sed hoc de regibus dici potest, qui leges ferre, & qui eas infrangunt, punire possunt, licet ipsi leges non obseruent, nec ideo reges esse desinunt. Non idem hoc de Diis; qui, si ita scelerati finguntur, omnem amittunt diuinitatem, & adeo, tanquam *rationis entia*, non timentur amplius.

\*\*\* OVIDIVS. L. I. *Trist. Eleg. 2. v. 4.*

Sæpe premente Deo, fert Deus alter opem,  
Muciber in Troiam, pro Troia stabat Apollo:  
Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.  
Oderat Aeneam propior Saturnia Turno;  
Ille tamen Veneris numine tutus erat.  
Sæpe ferox cautum petiit Neptunus Vlyssen:  
Eripuit patruo sæpe Minerva suo.

\*\*\*\* LVCRETIVS L. I. memorato IPHIGENIAE sacrificio, quod religioni s. nimix superstitioni tribuit, tandem inquit:

Tantum relligio potuit suadere malorum!



## §. XII.

Dolendum profecto est, quod & ii, qui a Seruatore optimo nomen habent, subtili adhuc laborent *ἰδωλολατρειας* genere, quod dicitur superstitio. \* Nam de crassa ista *Idololatrie* specie, quæ inter *Romanenses* obtinet, nihil hic dicam, sed saltem de vanis hominum opinionibus, qui vel temporum dierumque delectum habent, \*\* vel ominibus timent, \*\*\* vel herbas lapidesque, ad pellendos morbos conceptis verbis deuotos, collo dependent, \*\*\*\* vt reliqua huius generis facinora in Christianæ religionis honorem tacitus præteream. Detestanda omnino est hæc nostratium superstitio, propterea, quod non solum nec ratione humana, nec Scriptura S. fundata, sed potius per vtramque quam maxime est absurda, illicita, sacrilega: tum quoque, quia spem fiduciamque a Deo retrahit, & in miserrimis creatis rebus ponit, auxiliumque ab iis exspectat, quæ omnis auxilii sunt expertes.

\* *Tous ces peuples étoient & superstitieux & idolâtres: & les Chrétiens se sont contentés de rejeter le dernier de ces deux maux.* Msr. BAYLE. T. I. p. 254. *pensées diuerses.*

\*\* Sic, v. g. in suburbio nostro ridicula inualuit consuetudo, vt homines, etiam qui sibi aliquid esse videntur, primo die *Paschatos* festo, ante solis ortum, intermissa salutatione mutua, ex viuo flumine *Albula*, vulgo, *die kleine Weiseriz*, aquas hauriant, quæ, (*credat Iudeus Apella.*) si vel decem annos immotæ maneant, nihil tamen vicii capiant, & ad restringendum febris ardorem sint vtilissimæ. Sed hic quis non videt artem interni genii, qui, die coelestis amoris tam pleno, amorem inter Christianos fraternum, vetita salutatione matutina, extirpare laborat, cum tamen priscis temporibus Christiani mutuum sibi amorem, ipso charitatis osculo, hoc die testarentur, solemne illud: *Κυριος ἀνεση* sibi inuicem adclamantes?

\*\*\* Eiusmodi homines, qui vbiq̃ue omnia quærunt, ad viuum describit THEOPHRASTVS in *Charact. Ethicis*, Char. XVI. *περι δεισιδαιμονίας.*

\*\*\*\* B. BVDDI Theſes Theologicæ de *Atheismo & Superstit.* p. 733.

## §. XIII.

Priusquam vero huic dissertationi finem imponam, paucis adhuc disquiram, qui peior sit, quique magis Christianæ religioni noceat, (nam societatem humanam nihil moror; \*) Atheusne, an superstitiosus? Superstitiosum omnino rei Christianæ magis timendum esse, sequentibus argumentis euincam. Tantum vero abest, vt pro Atheismo per se fatis fœdo, \*\* causam dicere velimus, vt potius hoc ipso conatu superstitionis turpitudinem damnumque detegere laboremus, quæ minus turpis minusque damnosa videri solet plerisque hominibus.



1.) Atheismus minus nocet rei Christianorum publicæ, quia despici-  
turi ducitur ubique, punitur etiam, adeoque paucos, vel ignominiaæ metu  
vel pœnæ, in suas partes trahit.

Superstitio vero impune ubique serpit & carcinomatis instar, quia  
nullo ense reciditur, sinceram quoque partem trahit, & tamen nihilo mi-  
nus, quam Atheismus, Christianæ religionis fundamentum euertit.

2.) Faciliori quoque negotio Atheus ad meliorem mentem reuocari  
potest, quam superstitiosus. Cum enim Athei plerumque acutissimo inge-  
nio optimaque sint ratione instructi, ita, vt etiam ratione omnia rimari  
velint, & hac via in Atheismum ruant; rationibus etiam & argumentis  
persuadentur, & ad Dei cognitionem reducuntur, nisi perditâ veritati re-  
sistant pertinacia. Superstitiosi contraria e parte homines sunt maxime  
stupidi, qui nihil audire volunt, quam ridicula sua somnia fabulasque ani-  
les, & absurdas maiorum traditiones, ita vt argumentis animos magis  
indurent, quam vt moueantur.

3.) Athei præiudicata sententia, ab aliorum auctoritate ducta, Deum  
esse negant, adeoque facile ista sententia rationibus exui possunt. Super-  
stitiosi vero præconceptis educationis opinionibus, quibus male meden-  
dum est, \*\*\* in perniciem suam ruunt.

4.) Plerique denique Athei, si qui sint, vel ignorata religionis veritate,  
vel ambitione, vt se præ reliquis sapere iactitent, vel vt voluptatibus li-  
bidinique indulgeant, relegato numinis metu, securius, se tales profiten-  
tur. Sed ad frugem redeunt, si vel melius edocentur, vel risui omnium  
exponitur eorum dementia, aut si denique ipsi foeditatem libidinum de-  
testantur. Ad superstitiosos vero quod attinet, ii falso timore \*\*\*\* ita  
urgentur, vt semper aliquid mali ominis timeant. Timor vero, quum  
ipsam corrumpat imaginationis vim, & in animo altius subsideat, inter  
reliquos animi motus difficillimo negotio potest erui. Quin etiam super-  
stitiosi tam religiosi sibi videntur, qui non opus habeant, vt abdicatis su-  
perstitiosis artibus, ad sinceram pietatem se reuocari patiantur.

\* Num Atheus, an superstitiosus magis noceat societati humanæ, quæsiuit BAY-  
LIVS Contin. des pensées diuer. p. 568. Cui tamen nonnulla respondenda  
putauit B. BVDDEVS in *Theol. de Atheismo & Superstitione*, p. 346. sqq.

\*\* Vide Dissert. B. PRITH, de *Atheismo in se foedo, & generi humano noxio*, Lips. 1698.

\*\*\* Nam, teste HORATIO, L. I. Ep. II. 69. 70.

*Quo semel est imbuta recens seruabit odorem  
Testa diu.*

\*\*\*\* *Fear is an Uneasiness of the mind, upon the Thought of future Evil, likely to  
befal us.* LOCKE *Essay of human Understanding*, Vol. I. p. m. 187.



## §. XIV.

Omnes itaque Christianos homines, qui se miseris Deorum cultoribus præstare student, summa ope niti decet, ne suam hac in re felicitatem magni facere obliuiscantur, multo minus vero detestandæ superstitioni indulgeant, qua ad priscum Deorum cultum itur; Sed ut potius spem fiduciamque omnem in Seruatore O. M. nunquam non habeant positam.

\* \* \*

**E**A est, PARENS EXOPTATISSIME, TVA pietas, ut, explosis fabellis anilibus, TE, resque TVAS omnes, non abiectissimis rebus creatis, non vanis præstigiatorum artibus, ut a pio Theologo fieri debet, (peruelim vero ab omnibus fieri!) sed Deo, sed summo illi vitæ fortunæque nostræ arbitro committis. Ea quoque hinc TVA est felicitas, ut spes TVA rite sic Deo confisa, confusa nunquam, nunquam irrita recedat. Is enim ille ipse dies, qui mihi totique genti nostræ festus esse debet, singulare nobis diuini in TE fauoris sistit documentum. Aetas enim illa, in quam prouectus es, grauior, non vires in TE ad obeundum munus sacrum frangit, nec humanitatem erga omnes debilitat, neque amorem in TVOS remoratur; sed alacris in dies, comis, benignus viuis. Viuis? imo etiam, quæ Dei in TE est gratia, iuuenescere quasi videris, ut ad summam denuo & egregiis viris dignam senectutem possis pertingere. Faxit Deus feliciter, ut, TE saluo atque sospite, annua quam sæpius mihi obtingat gratulandi occasio, malis omnibus a domo nostra relegatis quam longissime. Sic voveo, sic opto, sic eueniat. Vale!

Coll. diss. A. 81